FLORA.

№ 17.

Regensburg. Ausgegeben den 22. Mai. **1862.**

Inhalt. W. Nylander: Quaenam sunt in Lichenibus sporae maturae? — Hofmeister: Ueber O. Heer's Untersuchungen über das Klima und die Vegetation des Tertiärlandes. (Schluss) — de Bary: Die neueren Arbeiten über die Schleimpilze und ihre Stellung im System.

Quaenam sunt in Lichenibus sporae maturae?

Scripsit W. Nylander.

Saepe apud auctores mentio fit de sporis maturis et immaturis; quod vero accurate intelligendum est iis vocabulis non definitum exstat neque facile demonstrari possit. Mirum simul in schola Massalongiana (sive sporologica), quae cardinem scientiae in sporis ponere vult, de hisce quidem corpusculis notiones variis respectibus maxime mancas plerumque exhiberi, sicut pluries in scriptis meis indicavi, errorem praesertim castigans quo sporae tamquam planae vel diversis modis discoideae considerantur, unde ortum debent termini „sporae soleaeformes, limbatae, biscoliiformes, virguliformes, complanatae" etc. etc., quales termini omnino sunt absoni atque inexperientiam sane tironis (ut dixi in Flora 1859, p. 625) in usu microscopii prodentes et in interpretatione elementari observationum ope instrumenti ejus factarum. Similiter quoad contentum sporarum notiones in schola Massalongiana vulgo vix attenta nituntur observatione, et jam in Lich. Scandinaviae p. 293 animadverti, contentum illud („granulosum, nubilum" etc.), notas nonnisi fugaces dare valere, nam aliud est in Lichene vivo quam in mortuo vel in herbariis diu asservato. Terminus „sporoblasta" omnino inane sistit vocabulum et omnino rejiciendum, nam guttulas oleosas protoplasmatis respicit, quae adesse possunt vel deesse in unis iis-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0293-6

demque sporis vel varie dividi et tum grumulosam faciem offerre, nec nisi elementum constituunt protoplasmatis sporalis. Ab aliis sic dictae „sporoblastae“, „sporidiola“ nominantur. Miranda est fiducia theologica, qua theoriae ejusmodi superficiales hodie tamquam res seriae exponuntur et saepe creduntur [1]). Cur non praeferre res simpliciter quales sunt concipere et describere? Cur tam libenter sententiis mere subjectivis vel theoriis arbitrariis inanibus vel praejudiciis observationes suas conturbare?

Quod ad maturitatem sporarum adtinet, nihil eo respectu absolute statuere datum est nisi experimento germinationem demonstrante. Cur de statu loqui, de quo scire haud possumus ubi incipit, vel quem definire haud valemus? Rectius sine dubio est vocabulis talibus vagis haud uti. Sporas juveniles vel plus magis evolutas dico, secundum evolutionis gradum quem praebent vel secundum aetates earum diversas, numquam autem de sporis maturis loquor vel non-maturis. Solus gradus evolutionis determinatus, vel qui tamquam periodus maturitatis forte distingui possit vel qui momentum initiale satis distinctum offert, est quando sporae sese in protoplasmate thecarum segregantes primo liberae evadunt in thecis; sed hocce minime sistit maturitatem, de qua loquuntur auctores scholae sporologicae et quae statum vagum spectat sporarum vetustiorum vel magis evolutarum. In evolutione sporarum varia notanda essent, quae hic nonnisi obiter indigitare possum. Sporae non semper juniores minores observantur quam sporae maxime evolutae; contra haud raro sporae juveniles discretae (liberae in thecis) paullo majores conspiciuntur et deinde, parietibus cellularibus rite formatis nonnihil contrahuntur. Alibi sporae juveniles jam longitudine sunt eadem ac sporae maxime evolutae, sed primo valde graciles deinque crassitie sensim augentur (quod ostendunt praesertim sporae murali-divisae). Guttulae oleosae in sporis junioribus saepissime observantur distinctae, quae in magis evolutis minores evadunt vel evanescunt; alibi satis persistunt in vivo, at in genere guttulae illae majores sporas juniores designant. Memorentur adhuc sporae vetustae, vel sporae solito longius in hymenio restantes, faciei vulgo macrae collapsae vel emortuae et coloris (saepe atypice) obscurati.

---

[1]) Bene huc cadit animadversio rectissima celeberrimi Schultz-Schultzenstein in Flora hujus anni pag. 88, 84 („Beobachtung über Beobachtungen“).

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0294-2

Sic in sporis diversi evolutionis gradus discernuntur, sed longe abest ut eas limite ullo qualicunque in maturas et immaturas separare possimus, sicut arbitrarie vagequè admittitur in schola Massalongiana. Confusio gravissima oritur, quando sporae juniores, ut vidi, pro adultioribus („maturis") sumuntur, quod facile accidit duce theoria sporoblastica guttulis oleosis varie diffluentibus aut contractis singulari modo superstructa et iis momentum summum mire attribuente.

Accuratius igitur videtur, in descriptionibus modo sporas plus minus evolutas distinguere. Quod accuratum est in scientia et bene perceptum solum vere utile sistit.

Heer, Osw., Untersuchungen über das Klima und die Vegetation des Tertiärlandes. Mit Profilen und einer Karte. Separat-Abdruck aus dem dritten Bande der tertiären Flora der Schweiz. Winterthur, 1860. gr. Fol. IV und 169 S. mit 2 lithogr. Tafeln.

(Schluss)

Die 371 Arten der 10 artenreichsten Familien der Tertiärflora stellen die Hälfte der aus derselben bekannten Phanerogamen dar. Es bedarf also hier der Zusammenrechnung von mehr Familien als aus der Flora der Jetztzeit, um die halbe Artenzahl der bekannten Phanerogamen zusammen zu bringen.

Einige Notizen über Formenkreise der Tertiärflora, welche theils durch Reichthum, theils durch Armuth auffallen, mögen hier Platz finden. Blattpilze sind häufig, von jetzt lebenden nicht unterscheidbar. Analoge Nährpflanzen wurden von identischen Pilzformen bewohnt. Nur ein Hutpilz, eine Hydnum ist erhalten, während das Dasein vieler Pilzmücken in den insectenreichen Schichten Oeningens auf eine üppige Vegetation fleischiger Pilze schliessen lässt. Die zahlreichen Charen weichen von jetzt lebenden weit ab. Es sind drei, gegenwärtig der mitteleuropäischen Flora angehörigen sehr ähnliche Hypnen gefunden, aber keine Spur eines Sphagnum. Unter den Farrnkräutern fallen Schizaeaceen, vor Allen *Lygodium* als fremdartige Typen auf. Unter den Coniferen machen einige Formen dadurch sich bemerklich, dass ihnen homologe Arten jetzt nur an weit von einander entlegenen Punkten der Erdoberfläche, und in meist

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0295-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: 45

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Quaenam sunt in Lichenibus sporae maturae? 257-259